



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 17. Circa Fidei subiectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

Secio II. De Fide, Dubia. 29

confirmata, in quibus aliqui errores inueniuntur: Ergo Concilium à Sede Apostolica non confirmatum in fallibilis veritatis non est. Antecedens probatum ex Concilio Ephesino II. quod fuit à Leone Iudicatum, non tamen confirmatum, quod errores Diolcori & Eueychetis admisit, vt tradit idem Leo *Epist. 12. 13. 21. & sequent.* Tū ex Concilio Basiliensi sub Eugenio IV. cuius defectus expendit Torrecrem. *libr. 3. de Eccles. capit. 100.* & Caiet. *tract. de authorit. Pontif. capit. 8.*



CAPVT XVII.

Circa Fidei subiectum.

DVBIVM XXVIII.

An primus parens in statu innocentie habuerit Fidem diuinam?

²⁰⁸ *Ni habuit.* **I**N Adamo ante lapsum non fuit actus fidei diuinæ, sed notitia quædam excellentior, media quidem inter fidem, & visionem beatificam. Quia actus fidei diuinæ est cognitio obscura, quæ in Adamo saltem in eo excellentissimo innocentie statu erat indecens. Sic Magist. in 2. *dist. 23.* Hugo de Sancto Vict. *1. de Sacram. p. 6. c. 14.* Alen. in *summ. de virtut. Gandau. quodlib. 7. question. 14.*

²⁰⁹ *Habuit quidem.* In Adamo ante lapsum fuit Fidei diuinæ actus. Quia Adam etiam in statu innocentie absque dubio habuit mysterij Trinitatis, ac Dei glorificationis cognitionem: At non cognitionem fidei Angelicæ; non enim est verisimile, id accepisse ab Angelis; neque cognitionem euidentem, quia non intuitiuam, vt patet. neque abstractiuam, nullus namque erat effectus per se Trinitatis, vt Trinitas est, ex quo id deducere posset; neque erat aliquis Dei effectus glorificationis, ex quo id posset colligere: Ergo id cognouit ex reuelatione Dei; ac proinde habuit fidei diuinæ actum, qui non incongruebat Adamo adhuc in statu felici. Quia in eo quauis felici erat purus viator. Ita Theologi communiter edocent, teste Gaspare Hurtado *de fide, d. 7. diff. 1.*

²¹⁰ *Huc longe probabilius.* Hoc longe probabilius esse non dubito. Quod quidem deduco ex Paulo *ad Hebr. 11.* *Sine fide (ait) impossibile est, placere Deo,* & accedentem ad Deum oportet credere. Adamus autem in statu innocentie etiam placuit Deo, & ad eum accessit. Ergo actum fidei diuinæ gessit. Quod fuit satis congruum, quia est conuenientissima dispositio ad Sanctificationem, seu accessum ad Deum. Quod autem Adamus in eo statu fuisset Sanctus, satis indicatur *Sap. 2. ibi: Deus creauit hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis sue fecit illum.* Et *Ecclesiast. 1. Deus fecit hominem rectum.* Et supponitur in Concilio Trident. *sess. 5. de peccato orig. can. 1.* Escob. & Mend. *Theol. Moral. Tom. VI.*

dum dicitur: *Ad m per transgressionem mandati, statim Sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amississe.* Cæterum circa obiecta, quæ Adam in statu innocentie credidit, conueniunt Theologi credidisse explicite omnia mysteria ad Diuinitatem, & etiam ad Sanctificationem, & beatitudinem spectantia, quæ nos credimus. Sub lite autem est, num Incarnationis mysterium explicite crediderit. Lessius partem negatiuam tuetur *de predest. Christi, sect. 2. n. 26.* At Suar. *3. p. q. 1. a. 3.* Valq. *3. p. d. 1. c. 13.* Coninch *d. 17.* partem affirmatiuam tradunt. Quorum menti subscribo. Quia iudicio fuisse maxime congruum, tantum mysterium Parenti primo in eo statu reuelari, vt ex tunc tantum miserationis diuinæ portentum veneretur. Nihilominus ei non fuisse reuelatam futuræ Incarnationis occasionem nempe ipsius peccatum, ne ipsi in eo adeo felici statu nimia tristitia immitteretur.

DVBIVM XXIX.

An Angeli in statu viæ habuerint Fidem diuinam?

Certum est ex Doctorum consensu Angelos prius fuisse viatores, postmodum verò ex illis alios beatitudine donatos fuisse, alios addictos damnationi. Hoc supposito, quæserim, num Angeli in statu viatorum fidei diuinæ actum habuerint.

Non habuere in statu viæ fidei actum adhuc circa mysteria supernaturalia: sed horum tantum euidentem cognitionem habuerunt. Quia Angeli habuerunt euidentiam reuelationis Dei circa supernaturalia mysteria: ex reuelatione autem euidenter constante inferitur euidenter rei reuelatæ cognitio medio illo syllogismo: *Quidquid Deus dicit est verum, &c.* Sic Durand. in 3. *dist. 23. q. 9.*

Habuerunt quidem in statu viæ fidei diuinæ actum. Quia Angeli in eo statu habuerunt cognitionem supernaturalem Mysterij Trinitatis, & Dei glorificationis, non quidem euidentem: Ergo cognitionem fidei diuinæ. Ita D. Tho. *2. 2. q. 5. art. 1.* Torrian. *2. 2. d. 4. 1. sub. 2.* Coninch *de fide d. 17. n. 16.* Petr. Hurtado de Mendoza *d. 59. sect. 1.*

Huic Theologorum sententiæ communi adhæreo, adiiciens, Angelos in primo sui creationis instanti huiusmodi fidei actum gessisse, vt aduertit D. Tho. & Theologi communiter. Quia in eo instanti potuere cum actum elicere: & in eodem fuere in Sanctitate creati (vt Turrianus affirmat) & gratia, quæ adultis aut quasi adultis nõ cõferretur extra Sacramentum absque Charitatis actu, ad quem necessarius illis fuit fidei diuinæ actus. Quod si in primo instanti fuere creati in gratia & Sanctitate, etiam in eo fuit illis infusus fidei diuinæ habitus, absque quo nunquam in Viatoribus Sanctitas & gratia reperitur: præsertim cum in eo instanti actum habuerint fidei, qui non potest connaturaliter absque habitu elici.

²¹¹ *Questionis status.*

²¹² *Non habuerunt Fidem.*

²¹³ *Fidem habuerunt.*

²¹⁴ *Huic communi quidē adhæreo sententiæ.*

DUBIUM XXX.

An circa alia obiecta à Deo distincta sit
in Beatis Fidei actus?

215 *Statum qua-*
sitionis. Certum est in beatis siue hominibus siue
Angelis non esse fidei actum circa Deum
Quia repugnat, Deum clarè videri, & si-
mul obscure cognosci. Et quia actus fidei bea-
tos non deest, uti indicat Paulus 1. Cor. 13.
Cum venerit, quod perfectum est euacuabitur,
quod ex parte est, id est, cum Dei clara visione
fruemur, cessauit fidei obscura cognitio. Que-
sierim tamen, num circa alia obie-
cta à Deo distincta sit in beatis fidei
actus?

216 *Est in Bea-*
tis fidei
actus. Est quidem. Quia id indicat Apostolus
dum 1. Corint. 13. inquit, Nunc autem
manent fides, & Charitas. id est, sunt vir-
tutes semper permanentes. Vnde Ter-
tullian. libr. de patient. capit. 12. & Ire-
næus libro secundo contra heres. capit. 47.
indicant, in patria manere fidem, &
spem. Sic præter Tertullianum, & Ire-
næum alij Doctores, quos pressio no-
mine, memorat Hurtado, Complut. ubi
infra.

217 *Minime*
est. In beatis minime adest fidei actus. Quia
ex vno capite circa alia obiecta est in eis
possibilis cognitio intuitiua media propria
specie cognitorum obiectorum, à Deo infu-
sa: & ex altero cognitio fidei statui feli-
cissimo ac perfectissimo beatitudinis mini-
me congruit. Ita Theologi communiter,
quos sequitur Hurtado de fide dub. 7.
diffic. 2.

218 Hoc certum esse reor, addens, non
solum non esse in beatis fidei actum, imo
neque habitum infusum. Quia incongruen-
ter conferuatur à Deo habitus ab ipso solo
infusus, ubi actus incongruit.

DUBIUM XXXI.

An damnati tam Demones, quam
homines habent Fi-
dem?

219 *Habent*
quidem. Habent quidem. Quia tam Angeli, quam
homines damnati recordantur reuelationis
diuinæ, cuius in via notitiam habuere.
Quid ergo impedit, ob eam assentiri, & cre-
dere? Addo Iacobum c. 2. fantem, Credis, quod
vnu est Deus, bene facis: Demones credunt, &
contremiscunt. Sic Durand. in 3. dist. 21. q. 9.
Salmer d. 3. in Epist. Iacobi. Et quoad Ange-
los damnatos probabile existimat Valent. 2.
2. q. 5. p. 2. Quod si in Dæmonibus manet
fides diuina, etiam in hominibus damnatis
manebit.

220 *Non habet.* Non habet. Quia uti D. Dionys. de diuin. no-
min. c. 4. docet, damnati carent omnibus diui-
nis donis: Et, ut ait D. August. 1. 9. de Ciu. c. 2.
Demones cognoscunt Christum Dominum non

lumine fidei, sed efficacia signorum. Ratio est,
quia absque auxilio efficaci gratiæ Dei nullus
elicit fidei diuinæ actum: Damnatis autem
nullum tale auxilium à Deo confertur. Addo
non solum non habere fidei actum, sed neque
habitum à Deo infusum. Quia nihil superna-
turale illis à Deo confertur, neque confer-
tatur in eo infelicissimo statu, quamuis an-
tea præcesserit. Ita D. Tho. 2. 2. q. 1. a. 2. Sum. de
fide d. 6. sect. 9. Coninch de fide, d. 17. dub. 2. q.
6. dub. 4. Granad. 17. 13. sect. 1. & Theologi alij
communiter.

Longe hoc probabilius. Damnati enim co-
gnoscunt res nostræ fidei non immediate ob
diuinum testimonium, sed partim ex signis, &
effectibus, quos experiuntur: & partim ex mo-
tibus nostræ fidei, quæ damnati optimè pene-
trant, quibus moraliter conuincuntur, Deum
res nostræ fidei reuelasse: & inde per discul-
sum cognoscunt esse veras, syllogismo illo:
Quidquid Deus dicit, est verum, &c. Porro D.
Iacobus quamuis non admittat in damnatis
fidem diuinam nostræ similem, sed alium as-
sentum improprie dictum fidem: tamen
efficaciter arguit exemplo fidei Dæmonum,
contra hæreticos illius temporis, qui existi-
mabant, fidem vndeumque conceptam,
quamuis non diuinam sufficere sine operibus
ad salutem. Itaque ad actum fidei diuinæ non
sufficit reuelatio diuina sufficienter applicata,
si auxilium efficax gratiæ non confertur,
quod quidem damnatis minime confertur.
Vnde non crednat ob reuelationem diuinam
ex defectu auxilij efficacis, & non ex defectu
reuelationis diuinæ & applicationis ipsius.

DUBIUM XXXII.

An hæreticus possit actum fidei
habere?

Hæreticus, dum est talis, non potest actum
fidei diuinæ habere. Quia peccatum in-
fidelitatis & hæresis non est, quovisque illi,
qui discredet, sic prudenter proposita reue-
latio rei credendæ: imo quovisque persuasus sit,
veram Ecclesia tenere eam rem ut reuelatam
à Deo: sed illi, cui non urget reuelatio diuina
prudenter proposita circa vnam rem, non
vigebit prudenter proposita circa aliam: præ-
sertim si ab eodem proponente, & æqualiter
sit proposita: quia vtraque reuelatio est e-
dem Dei, & circa vtramque rem prudenter
propositam: imo aliquando ab eodem propo-
nente, & æqualiter: Ergo qui est incredulus &
infidelis Deo revelanti vnam rem, qualis est
hæreticus, non potest eidem alia reuelanti
credere. Sic Suarez de fide, d. 7. sect. 4. Lorca 2. 2.
d. 3. 3. & alij plures.

Hæreticus non credens vnum aut alterum
dogma fidei, potest fide diuinam, seu ob reuelationem
diuinam credere alia, seu habere
actum fidei circa illa. Quia ille est verè
infidelis, & hæreticus, (si alias sit profes-
sione Christianus) qui sciens Deum ali-
quid reuelasse, aut non potens id rationabi-
liter dubitare, illud non credit: sed quis pru-
dentem propositionem duorum fidei dogmatum

ut Deo reuelatorum ab Ecclesia factam postquam nequeat rationabiliter dubitare. Deum illa duo reuelasse: potest persuaderi, vnum ex illis esse à Deo reuelatum, & alterum non, vel quia reuelatio circa dogma quod creditur, proponitur motiuis efficacioribus; quam reuelatio circa aliud; vel quia proponitur à maiori auctoritatis persona; vel etiam ab eodem proponatur, & equalibus motiuis, ac reuelatio circa alterum; potest in hoc altero dogmate peculiaris esse aliqua difficultas, ob quam quis indiget, proponentem Ecclesiam falli circa huius, & non circa illius reuelationem; ergo poterit credere ob reuelationem diuinam, seu fide diuinam vnum dogma, id scilicet, quod existimat esse à Deo reuelatum; & aliud non credere. Imo non apparet, cur ex duobus dogmatibus ab eodem propositis, vt reuelatis ab Ecclesia, & aequaliter, non possit quis pro sola suae voluntatis libertate, credere vnum esse reuelatum, & non alterum cum pro sua libertate quis ita credat fide humana rem esse reuelatam, vt potuerit id non credere absque vlla mutatione ex parte moriui ad id credendum humana fide, quando in obiecto materiali est aliqua difficultas sufficiens ad non credendum, esse à Deo reuelatum: alias intellectus non penderet à voluntate in credendo quoad specificationem fide humana reuelationem diuinam, quod est falsum. Ita Durand. in 3. dist. 23. q. 9. Coninch. de fide, d. 1. dub. 2. Becan. de fide, c. 11. q. 1. Hurtad. Complut. de fide, d. 7. diff. 5. Granad. tr. 1. §. 1. et 2.

214 Cum his opinor. Nam diuina reuelatio potest vigere circa vnum dogma, & non circa alterum: vel quia reuelatio circa vtrumque non proponitur ab eodem; vel quia non proponitur aequaliter, quamuis ab eodem; vel quia ab eodem, & aequaliter ab Ecclesia proponitur: potest esse peculiaris ratio aut difficultas in dogmate vno, & non in altero, ob quam iudicetur reuelatio esse facta circa vnum dogma & non circa alterum: vel pro sola libertate voluntatis, quamuis non sit in vno; quam in altero maior difficultas.



CAPVT XVIII.

Circa Fidei ad salutem, necessitatem.

DVBIVM XXXIII.

An actus Fidei sit medium ad iustificationem necessarium?

215 **R**espondeo ex sessione prima, illa dici necessariam ad iustificationem, sine quibus eam consequi non possumus, qualia sunt auxilia praenitentia adultis, & Baptismus ipsis in re vel in voto, & Baptismus in re susceptus

parualis, & poenitentia in re, vel in voto adultis, qui post Baptismum susceptum lethaliter delinquere. Verum illa quae sunt necessaria ad salutem sunt in triplici differentia: alia enim sunt necessaria necessitate medij tantum, id est, quae necessaria sunt tanquam media, seu remedia conducentia ad salutem, quae non sunt in nostra potestate, seu libertate, vt Baptismus parualis, & auxilia praenitentia adultis. Alia sunt necessaria necessitate praeccepti solum, quae ex eo solum modo sunt necessaria ad salutem, quia sunt sub praeccepto graui indicta. Alia demum necessaria sunt necessitate medij, ac praeccepti simul, quae vtriusque modo sunt ad salutem assequendam necessaria, nempe, & tanquam media, & tanquam praefato modo, praeccepta, vt Baptismus, & Poenitentia adultis. Quaesierim igitur, vtrum actus fidei sit necessarium medium ad iustificationem? Tantum autem procedit difficultas de lege ordinaria, quia de potentia Dei absoluta non est necessarius fidei actus ad iustificationem. Nam haec fieri potest infusione habitus gratiae, quae fieri potest à Deo absque praenio aliquo actu nostro.

226 Actus fidei non est necessarium ad iustificationem medium. Quia ad iustificationem sufficit dilectio Dei super omnia: sed absque actu fidei sola noticia naturali, siue ex testimonio humano, siue aliter habita potest elici Dei super omnia dilectio, ea enim noticia potest proponi voluntati Deus vt summe bonus, seu diligibilis: ergo ad iustificationem non est actus fidei, vt medium necessarius. Sic Vega libr. 6. in Tridentin. capit. 17. Videtur fauere Paulus Roman. 2. dum postquam dixit, Non audientes legem, multi sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur, subdit, Gentiles, quae legem non habent, naturaliter, quae legis sunt, faciunt. Quo indicare videtur, gentiles, seu infideles posse absque fide seruare legem, ac iustificari sola noticia lumine naturali habita.

227 Actus fidei adultis est medium ad iustificationem, & consequenter ad gloriam necessarium. Quia iustificatio, quae fit extra Sacramentum, tantum fit actu dilectionis Dei: ad hunc autem ex natura rei praerequitur actus fidei diuinae in viatoribus: in his enim nulla alia cognitio supernaturalis requiritur, ac proinde nulla alia cognitio proportionata, qua voluntas sua natura eccae proportionatè, & sufficienter ducatur, & illuminetur ad actum dilectionis Dei, vt potè supernaturalem. Deinde iustificatio adolorum, quae fit medio Sacramento, praerequitur ex Christi Domini institutione tanquam dispositionem necessariam, vt medium actum fidei, & spei, & poenitentiae. Praeter hos autem modos iustificationis nullus alius reperitur: ergo ad iustificationem, quocumque modo fiat, praerequitur actus diuinae fidei tanquam medium. Ita Theologi communiter. Suarez de fide, d. 12. session. 2. numer. 10. Coninch. de fide, dub. 14. numer. 113. & 175. Significat id D. Leo. serm. 4. de Natiuitate. D. Augustin. serm. 38. de temp. D. Fulgent. l. de fide ad Petr. D. Bernard. Epistol. 77. Nec obsecrè indicat Diuus Paulus ad Hebraeos 11. vbi ait, Sine fide impossibile est placere Deo. Porro si non esset medium necessarium ad iustificationem, quae sola placemus Deo, vt amici

TOB. AR
E. Mor.
VI. VII.
IV